



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

113. An collatio serotina in vigilia Nativitatis Domini sit sumenda in magna
quantitate ratione consuetudinis? Et an talis extensio militet etiam in
Religiosis, difficultas est? Et notatur Curiales ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

RESOL. CXIII.

An collatio serotina in Vigilia Natiuitatis Domini sit sumenda in magna quantitate ratione consuetudinis? Et an talis extensio militet etiam in Religiosis difficultas est? Et notatur Curiales Romanos non frangere ieiunium facientes collationem, ut vulgo dicitur grossam secundum consuetudinem Romanae Curiae Ex p. tract. 9. Ref. 35.

- §. 1. Prima opinio negat: Ita Nauarrus in Man. c. 11. num. 15. reprobat contrariam consuetudinem. Idem docet Rodriguez in sum. tom. 1. c. 23. n. 10. Anton. Bernard. in sum. c. 22. n. 23. Angles in 4. tract. de ieiun. q. 9. art. 2. diff. 4. dub. 1. & alij. 2. Secunda opinio affirmat, vbi talis consuetudo adesset: & sic docet Villalobos in sum. tom. 1. tract. 23. diff. 7. num. 5. Ledesma vbi supra. Llamas Beja part. 1. cas. 3. Medina in instruct. Sac. part. 1. cap. 14. §. 10. & alij. 3. Tertia opinio distinguit, & est Petri de Cenedo in quest. canon. q. 41. num. 5. vbi sic asserit: [In Diccensibus & Prouinciis, vbi sic vsu receptum est, vt in Vigilia Natiuitatis Domini assumi possit in collationem, quantum libuerit ex variis fructibus neque prelati reclamant; sed potius ipsi Confessores, & Praedicatorum eam consuetudinem sequuntur, huiusmodi certe consuetudo excusabit a transgressione praeccepti ieiunij; & in hoc casu procedit opinio affirmans. Si autem in aliquibus Prouinciis ab hac consuetudine reclamant Praelati, neque viri timorati eam acceptant, non excusentur a culpa: quia videtur potius corruptela, quam consuetudo rationabilis. Et in hoc casu procedit opinio negans.] Ita Cenedus. 4. Quid ego sentiam, dicam breuiter. Omnes istae tres sententiae sunt probabiles: sed quia Azorius p. 1. lib. 7. c. 8. q. 8. affirmat, vbi cumque in Vigilia Natiuitatis ferre esse consuetudinem introductum, vt duplo maior solito collatio serotina efficiatur; ideo puto cum Fagundez Praecep. 4. lib. 1. c. 24. n. 19. in tali die posse sumi pro refectiuncula vncias sexdecim plus, minusve ex pane, vel ex dulciariis. 5. Sed an talis extensio militet etiam pro Religiosis difficultas est: nam Hieronymus Llamas in sum. p. 3. c. 5. §. 25. putat, talem consuetudinem inualuisse apud Religiosos sed hoc mordicus negat Villalobos, vbi supra, in summa, tom. 1. tract. 23. diff. 7. num. 5. Ledesma in summa tom. 2. ar. 27. c. 2. concl. 4. in fin. vbi ait: [Entre los Religiosos esta costumbre no ha preualecido.] Et in nostra Religione certum est non extare. Idem negatiue respondendum videtur. 6. Notandum est ex his, Curiales Romanos non frangere ieiunium, facientes collationem grossam, secundum consuetudinem Romanae Curiae: quia tales videntur generaliter dispensati, postquam Papa sciens eam tolerat, nec Confessores, & Praedicatorum, eam damnant; licet hoc, vt bene obseruat Cenedo, vbi supra, n. 4. non, quia efficitur & committitur Romae, in aliis Prouinciis, & regnis extendendum est. Vide Caeret. in verb. §. ieiunium, iuxta fin. Armil. in sum. verb. eod. n. 12. Tolerum lib. 7. cap. 8. in fin. & alios.

Sup. hoc sup. in Ref. 111. §. 1. & in Ref. 112. §. 1. & in Ref. seq. §. 1. & in Ref. 1. post seq. §. Notandus, in princ. & sup. in tr. 4. Ref. 24. §. 1. & inf. in hac ipsa Ref. in §. Quid ego. Et pro eo quantum libuerit, contento in lin. §. 5. Tertia, huius Ref. in Ref. 1. huius not. in eod. §. 1. & in Ref. 2. §. 2. & in Ref. 3. §. 1. & 2. & in Ref. 2. in eodem §. & in Ref. 5. §. 1.

N A
n i a
L. IV V
III

vbi sic: [Los Cantores conduzidos por estipendio, y los que tienen Prebenda por el canto, estan escusados de ayunar, si el ayuno estorua al exercicio de la voz. Y lo mismo es en los Cantores aquien dan salario, por que firuan de solez algun Principe.]

RESOL. CXII.

An in Vigilia Natiuitatis Domini si quis vellet sumere collationem serotinam mane, possit illam sumere in quantitate, qua licitum est illam sumere sero? Et responditur in collatione serotina Vigilia Natiuitatis Domini posse sumi duplicem maiorem quantitatem, quam licitum est sumere in aliis ieiuniis etiam si Vigilia incidat in Sabbatho, & festum Natiuitatis in feria secunda? Ex p. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 17.

De hoc casu olim interrogatus fui a quodam Eminentissimo. Pro quo suppono id, quod alibi firmavi, in collatione serotina Vigiliae Natiuitatis, posse sumi duplex maiorem quantitatem, quam licitum est sumere in aliis ieiuniis. Ergo si in aliis licitum est sumere vncias octo, erit in illa licitum sumere vncias 16. & ita, me citato, tenet Ioannes Henriquez in opp. tract. 16. q. 5. 1. Suppono secundum, aliquos probabiliter asserere, quod si dies Natiuitatis veniat feria secunda, & transferatur ieiunium in Sabbathum, licitum esse in Sabbatho sumere in collatione eandem duplicatam quantitatem vnciarum 16. & ita, praeter Doctores a me alibi citatos, docuit nunquam satis laudatus Basilius Ponticus, teste Caramuele in Regul. D. Benedicti, disp. 128. n. 161. sic asserente: [In vigilia Natiuitatis poteris facere collationem secundum vsu Patriae, & Communitatis, non aliter; quia magna quantitas non vbiunque recepta. Inciderat natalis Domini in feriam secundam, vnde ratio videbatur cessare: consultus doctissimus P. Mag. Basilius de Leon, Cathedralicus primarius in Vniuersitate Salmaticensi, respondit, posse illa die Sabbathi fieri collationem in magna quantitate, cui subseribo.] Ita ille. 2. His positis, ad casum propositum affirmatiue respondet Pellizzarius in Man. Regni. tom. 1. tract. 5. c. 5. n. 13. vbi sic asserit: [Illud etiam hic monco, in vigilia Natiuitatis sumi posse collationem pinguem modo supra dicto, etiam in casu, quo, dilata cena in vespem, sub meridiem sumat refectiunculam: & proba, tum ex eo, quod Doctores supra concedunt posse sumi collationem tam copiosam, etiam in casu, quo vigilia Natiuitatis incidat in Sabbatho, & festum Natiuitatis in feria secunda, (in quo casu aequae cessat ratio concedendi refectiunculam adeo magnam;) labor, scilicet, nocturni Officij ac in praesenti casu, quo dilata cena in vespem, sub meridiem sumitur collatio: tum, quia ratio inducendi consuetudinem refectiunculae adeo magnae in vigilia Natiuitatis, videtur esse excellentia Praei; non autem solus labor nocturni Officij: talis autem ratio aequae procedit, siue collatio sumatur meridiem, siue vespere, vt patet. Ita in terminis docti viri a me consulti.] Ita ille. 3. Sed, vt verum fatear, ego magis adhaereo sententiae negatiuae; nam talis consuetudo in collatione nocturna tantum praualuit. Et ita nostram sententiam tenet Trullench in Decal. tom. 1. lib. 3. c. 3. dub. 6. num. 11. & ante illum Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 26. n. 6. Non audeo tamen damnare sententiam Patris Pellizzarij, imo puto probabilem: est enim ieiunium illud, ieiunium laetitia.

RESOL. CXIV.

An si quis v.g. amisit votum ieiunandi singulis sextis Ferris, & in illis aliquando incidat Vigilia Natiuitatis Domini, possit in collatione serotina sumere quantitatem pinguiorem?

Et